

um epistolas premitit salutacionem, in qua commendans suam personam &c. Finis ad Philem. vero:

Amen. solamen sit sancti spiritus. amen.

Autor nullibi proditur.

CVI.

- R. 37 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. nunc 102. f. min. nitidissime exaratus, columna media angusta laxa ad recipiendam inter lineas glossam, margine utrinque lato notis inserviente, rubricis et literis initiorum cubitalibus deauratis, picturatisque venustus, et olim *Congregationis S. Justine de padua deputatus usui fratrum sancti seuerini de neapoli*, sed a Furcifero quodam improbissime habitus exfectis hinc inde, vel accisis foliis, continet *D. Pauli Apostoli Epistolas* cum utraque *Glossa*, ordinaria videlicet et *interlineari*. Deperiit Epistola I. ad *Corinth.* a C. VII. v. 22. II. tota, ad *Galat.* tota, ad *Ephesios* usque ad C. III. v. 18. Accisae sunt Ep. ad *Philipp.* a fine, ad *Coloss.* a principio; neque reliquis in totum pepercit infana stupiditas puerili, ut videtur, literarum auro coloribusque splendentium amore capta. Ita huic, quemadmodum multis aliis Codicibus, querelam illam adcommodes: *Forma fuit damno!*

Hic intelligitur a roma scripsisse. Gratia sit cum omnibus vobis.

CVII.

- Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 42. 4. min. eleganter lineis laxis in medio paginae scriptus, glossarum adparatu minuscule exarato utrinque latera stipante, et etiam inter lineas recepto, quondam *Job. Fabri Praefulis* nostri, *Apocalypseos Exemplum* est, quod pag. 2. orditur, Prooemio pag. 1. occupante. Atque istud incipit: *Apocalypsis hec inter reliquos noui testamenti libros prophetia uocatur. sed aliis excellentior prophetiis &c.* quae totidem verbis legas in *Bibliis glossatis*, unde etiam reliquae Glossae per Operis decursum magnam partem depromptae sunt, et ita ad *Walafr. Strabum*, *Anselmum Laudun.* et *Nic. Livanum* pertinent. Sunt vero quaedam etiam aliunde adcita, ut ex L. VI. *Ambr. Ansberti* in *Apoc.* qui habetur *Bibl. PP. Lugd. T. XIII.* nomen *Genferici* scriptum literis graecis *Γεννηκος* habens numerum *Bestia*, id est DCLXVI. Ad calcem additur primo: *De Etatibus Hominis Observatio: Gradus etatis VII.*

VII. sunt, id est Infantia Pueritia Adolescentia Juuentus Grauitas Senectus. Infantia tendit vsque ad VII. annum. Pueritia ad XIV. Adolescentia ad XXVIII. Juuentus ad L. Grauitas ad LXX. Senectus est quæ nullo annorum tempore finitur, sed post illas V. etates quantumcunque est uitæ, senectuti deputatur. Senium est ultima pars senectutis, dicta, quod sit terminus sextæ etatis. Postremum hoc inniti videtur Psalmo LXX. v. 18. Usque in senectam et senium, ubi tamen Hebraeus שִׁיבָה, Graecus Πρεσβειον habet. Dein fe-

quantur X. Genera Metallorum, puta: Aurum, Argentum, Auricalcum, Stannum, Plectrum, Plumbum, Aes, Cuprum, Calibs, Ferrum. Ad Plectrum observo designari vernaculum nostrum Blech, Belgis et Suecis Bleck, fortasse a Graeco Πλαξ, quod generatim materiem adtenuatam, Laminam notat. Unde rectius exponas in Carmine Ermoldi Nigelli, quae vocat, aurea Pletra (Goldblech) quam quidem visum Muratorio T. II. Rer. Ital. P. 2. et novis Editoribus Glossarii Ducang. Demum accedit hic Versus:

Qu) ang)uis di) rus tri)sti mulce) dine stra) uit.
H) os Sang) mi) rus chri) sti dulce) dine la)

cui subscriptum: Anno domini M^o CCC^o LXIII^o in octava innocentium frater ch. Tansaig scripsit supradictos uersus. Ab hac manu etiam Metalla sunt; sed Nota de Aetatibus Codici συγγεγονος est.

CVIII.

U. 562 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 38. 8. nitidissime exaratus complectitur I. Textum Apocalypseos laxius scriptum ad recipiendam Glossam interlinearem, margine exteriori comitatum Glossa ordinaria. Utriusque Glossae character tam minutus est, ut acutissimum Librarii visum mireris. Caput XIV. cum fine XIII. et initio XV. excidit.

II. fol. 15. accedit Expositio VII. Epistolarum Canonicarum, cujus Prooemium incipit: Jacobus. Petrus. Judas. Johannes VII. epistolas ediderunt, quas ecclesiastica consuetudo uocat catholicas. i. uniuersales. i. a fide uniuersalis ecclesie non discrepantes. uel canonicas. i. regulares. i. in fide et tolerantia persecutionum. plurimisque uirtutibus ecclesiam regentes &c. Initium ipsius Expositionis: Ego iacobus seruus dei. i. creatoris et domini omnium potentialiter. nostri autem i. apostolorum per excellentiam &c. Igitur non habetur Textus ipse continuus, sed particulatim, ut Glossatorum usus fuit. Omnia vero character non multo majore, quam Glossae Apocalypseos, exarata sunt. In expositione dupli-